



Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Dominica tertia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

96 Dominica III. post Pentecosten.

tempus suppetit amplissimum ! hodie ad cœnam invitati magnam , ut reficerentur splendide , & pretiosè de mensa Domini , tempus defuit comparendi omne, quia clamabant : *habe me excusatum*. Sic ludunt filii hominum cum Deo & cœlo. Verùm hic lusus periculosus est. Deus enim non irridetur ! fili ! si ludimus, ludimur ipsi.

Instructio meritoria.

Non sic nos , ò fili ! ad cœnam magnam , ad gaudia æterna nos accingamus , curiositatem in publico cavendum , & *Rosarium Gloriosum* ordinario adjungendō cum voto : *dissolvi cupio, & esse cum Christo.*

Dominica III. post Pentecosten.

EXHORTATIUNCULA I.

SCit filius, quantum sit gaudium in cœlo, & in corde Jesu super uno peccatore pœnitentiam agente. Augeamus hoc gaudium Christo , quia meruit de nobis. Augeamus declinantes à malo , & facientes bonum. Augeamus succur-



currendō periclitantibus tot animabus,
idque per devotas preces, & suffragia ar-
dentissima. Frater redimat fratrem.

Instructio meritoria.

Ut igitur convertantur peccatores
obdurati ad Dominum, vitāmque seriō
detestentur præteritam, invocemus nos
omnes Cœli incolas per *Litanias de
omnibus Sanctis*. Et versus quatuor
mundi plagas genuflectentes signemus
cum dicto! *Jesu! fili David! miserere
peccatorum!* digna invocatio, per quam
obtinebitur multorum conversio.

II.

CHarissimi! rogit hodie S. Petrus,
humiliamini sub potenti manu Dei,
ut vos exaltet in tempore visitationis.
Abjiciamus igitur cogitationes excelsas, &
in simplicitate cordis coram Deo, & ho-
mine ambulemus. Cum simplicibus est
sermocinatio ejus.

Instructio meritoria.

Duodecim schedulas conscribatmus, &
cuilibet certum actum, seu opus humili-
tatis inferamus, & quem manè extraxe-
timus ex urnula, fideliter exequamur.

E.

Opra-

98 Dominica III. post Pentecosten.

O praxin animæ opportunissimam !
porrò ad impetrandum donum virtutis
adèò necessariæ (qualis est humilitas
Christiana) sæpiùs percutiamus pectora
nostra cum deprecante publicano di-
centes : *Domine ! propitius esto mihi
maximo peccatori.* Recitetur & Psal-
mus : *Domine ! non est exaltatum cor
meum.* Glorificat Deum , qui se humi-
liat.

III.

O Quàm sollicitus , quàm laborio-
sus fuit Christus , donec ovem in-
veniret deperditam ! nonaginta no-
vem reliquit , ut reduceret errantem . Et
quæ hæc errans ovicula , nisi anima no-
stra ? & hanc unicam habemus , & tamen ,
ne perdamus , vix unquam curamus se-
riò , & sollicitè vigilamus ; dum interim
corpori damus , & permittimus omnia .
Verùm ô fili ! *Si non es pro temetipso sol-
licitus modo , quis erit pro te sollicitus in
futuro ?*

Instructio meritoria.

Æstimatio nobis deest pretiosæ ani-
mæ , ut acquiramus , quotidie , ante-
quam

quam eamus cubitum , flexis genibus
 examen nocturnum instituamus , con-
 scientiam discutiamus , & an per diem
 plus corpori , quām animæ datum , con-
 sideratē inspiciamus. Subjungatur Psal-
 mus *miserere expansis brachiis.* Fili !
 vis praxin aliam ? quoties inciderimus
 in peccatum (ô si continget nun-
 quam !) statim intra nos recolligamur,
 in terram procidamus , & cum filio pro-
 digo ad cœlum clamemus : *Pater ! pec-
 cavi ! ne intres cum servo in judicium
 tuum.* Dein datâ , & oblatâ occasione
 promittamus confiteri. Latet vipera,
 ubi peccatum : Quis diu intus toleret ?

Dominica IV. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

Ad æterna ! ad immortalia ! fili mi !
 invitamur , dum monet Christus :
Duc in altum. Tandem valedicendum
 sacerculo , pravis desideriis , & cupiditati-
 bus , si cupiamus soli adhærere Christo
 Domino ! contemnenda hæc sunt tran-
 sitoria , si ambiamus cœlestia. O igitur
 nobile donum ! contemptum saceruli !